ſtudio. De illorum autem negotio cùm in Regiam allatum eſſet, iam inaudierat Regis Chriſtianiſſimi legatus captiuum eſſe nauigium, & Francos Ieſuitas, vrgebatque omnium, ac maximè noſtrorum libertatem, quòd eius rei habuerat ab ſuo Rege ſtudioſiùs iniuncta mandata. Nihil itaque moræ fuit, quin noſtri Pembrochio Douerum arceſſerentur, vnde breui traiectu Itium Portum, Francicæ oræ oppidum, incolumes lætique deportati ſunt, decimo ſuæ captiuitatis pæne affecto menſe, quo loco Darquieni Dynaſtæ, Regio præſidio Præfecti, & Baulæi Decani eximia humanitate, beneficentiaque lautiſſimè accepti ſunt, idoneo præterea donati viatico, quod Ambianos iter intendentibus in ſuum Collegium abunde eſſet.

I A M Nouo-Francicæ Miſſionis operæ quantum promouerint rem Chriſtianam inter Barbaros, non facile diſpiciet, qui rem vulgi trutina metietur: qui verò negotium natura ſua perarduum, interuenientibus etiam aliunde caſibus valdè impeditum, æquis momentis volet æſtimare,

maximè